

05

A

783



I. N. 7.
DISPUTATIONUM PNEUMATICARUM

QUARTA

in specie,

De

**AFFECTIONIBUS SPI-
RITUS IMMEDIATIS**

AGENS,

Quam

Annunte Spiritu Infinito,

PRÆSIDE

M. CHRISTIANO BILEFELD,

Lubec. Fac. Phil. Adj. p. t. Decano

In auditorio Majori

Horis antemeridianis

ad diem Septembr.

Placida Eruditorum ventilationi submitte

VINCENTIUS PETERSEN, Hamburgensis,

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.

ANNO M DC LIX.

V I R O

MURRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AM-
PLISSIMO, J.U.L.

DN. BARTOLDO MULLERO, Inclytæ
Hamburgensium Reipubl. Proto-Consuli longè
eminentissimo, Patriæ Patri vigilantissimo, Patrono
ac Promotori summo.

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO,

DN. JOHANNI MULLERO, J. U. D.
celeberrimo, Reipubl. Patriæ Syndico eminen-
tissimo, Patrono & Favitori summo

V I R O

AMPLISSIMO, PRUDENTISSIMO, CON-
SULTISSIMO,

DN. HIERONYMO SZSEN/ J.U.L.
Reipubl. itidem Patriæ Senatori optimè merito
Patrono, Fautori & Avunculo omni honoris &
observantiæ cultu cumulativè de-
venerando.

*Philologicam hanc Ventilationem, in
gratam mentis τανυήριον officiosè
dicat ac dedicat*

Vincentius Peterlen Hamburgensis.

05 A 783





Συμ. Οικ.
De

Affectionibus immediatis in Specie.

Thef. I.

Actualitas est Affectio Spiritus ut sic im-
mediata, qua is potentia passiva expers deno-
minatur.

§. I.

Quæ sint affectiones immediatæ, & quid sint, ex priori
disputatione repetendum erit, ut & quâ ratione A-
ctualitatem primo posuerimus loco. Actualitatis au-
tem vox à nobis assumitur ad exprimendam naturam
affectionis, quæ à potentiâ describenda maximè est, licet non
negemus, vocem actus in metaphysicis etiam sumi pro affe-
ctione. Sicuti autem vox actus variè sumi potest, ut ex Me-
taphysicis constat, ita etiam vox actualitatis: nos, alias omit-
tendo acceptiones actualitatem hic præsupponimus entitati-
vam, quæ ipsam essentiam Spiritus ponit extra nihil sive nega-
tivè sive positivè. Formalem autem rationem ipsius Actuali-
tatis ponimus *in negatione potentia passiva*. Potentia enim, ut
aliàs notum, est vel *activa* vel *passiva*: *priorem* non denega-
mus ipsi Spiritui ut sic, cum illa tantum abest, ut imperfectio-
nis quid, ut multò magis perfectionem aliquam inferat, dum
vis quedam est radicalis agendi in aliud, in quantum aliud: po-
steriorem verò hinc remotam volumus, quæ aliàs dicitur *vis pa-
tiendi ab alio, in quantum aliud*: Potentiam passivam ab Au-
thoribus variè aliàs accipi constat, dum quoq; & *obedientialem*

A 2

&

& *objectivam* potentiam dicunt esse potentiam passivam. Vocatur autem potentia *obedientialis*, quia res apta est obedire potentia superioris agentis intellectualis, de qua ulterius *Metaphysici* consuli possunt; Unicum hoc nos tantum adjicimus, hanc potentiam non esse positivam, sed negativam, sive non repugnantiam, & sic ipsi rei non inest, neq; inclinationem naturalem, vel propensionem ad actum recipiendum habet, sed solam non repugnantiam, cujus respectu etiam *obedientialis* dicitur, in quantum superiori agenti maxime valido neq; resistere neq; sese subtrahere valet, sed eidem obedire tenetur: & sic illa arguit, non in re, de qua *obedientialis* potentia dicitur, sed in ipso agente, potentiam, eamq; maxime validam & sufficientem ad introducendum actum aliquem; propterea ab aliis potentia logica tantum dicitur. Potentiam *objectivam* vocant, qua aliquid ab agente naturali produci potest, (quanquam ab aliis etiam latius sumatur) & denominationem exinde habet, quia res illa, cui haec inesse dicitur, esse potest potentiae activae objectum: varias ejus acceptiones vide apud *Excell. Dn. D. Calovium in Metaphysicis*. Dum autem & *obedientialis* & *objectiva* potentia proprie potentia non est, sed tantum aequivoce ita dicitur, igitur parum de ea hic solliciti sumus, neq; etiam spiritui ut sic competit, aut competere potest.

§. 2. Haec actualitas, de qua hic nobis sermo est, oritur ex ipsa immaterialitate. Materia enim in *Physicis* quia dicitur & est principium passivum, ob quod corpus dicitur habere in se potentiam passivam, illiq; passiones proprie dictae competunt: ideo remotam illam materiam per ipsam immaterialitatem, & hac positam, removeretur etiam ipsa potentia passiva materiae propria, & ponitur ipsa actualitas potentiae passivae opposita. Sic enim colligimus: Quicquid est immaterialis substantia, illud non habet potentiam passivam proprie dictam, & per consequens est actus: sed spiritus est immaterialis substantia. E. Spiritus non habet potentiam passivam proprie dictam, & per consequens est actus.

The-

Thesis II.

Simplicitas est affectio spiritus ut sic im-
mediata, quâ spiritus in partes essentielles simpli-
citer nequit resolvi.

§. 1. Vox simplicitatis negat complicationem rerum
diversissimarum, unde simplex dicitur, quasi sine plicâ; quem-
admodum duplex dicitur, ubi duo plicantur, &c. Variè autem
vox simplicitatis adhibetur, quas omnes acceptiones hic re-
censere nolumus, cum ex libris metaphysicis peti sat possint; hoc non
omittendum erit hâc vice, quod simplicitas possit tum
respectivè sumi, *vel* pro eâ, quæ cuidam parti essentiali alicujus
corporis, & ut principio constitutivo primo respectu aliorum,
competit: Sicuti autem illa pars respectum habet ad totum
constituendum; ita etiam hæc ipsius simplicitas respectiva est.
Et quia hæc pars etiam est principium aliquod primum, ne pro-
gressus detur in infinitum, non potest non dici simplex, quan-
quam ex se ordinata sit ad compositum faciendum. Consistit
autem illa simplicitas in negatione formæ alicujus quoad es-
sentiam illius rei, ipsa tamen essentia est ipsa materia. v. gr. ma-
teria cœli & omnium corporum simplicium: *vel* pro eâ, quæ
majori opponitur compositioni, quomodo ea simplicia dicere
solemus, quæ, licet in se non sint simplicia, sed maximè com-
posita, tamen tantum compositionis gradum non admittunt,
quantum alia: quâ ratione in physicis dicuntur corpora sim-
plicia: *cum absolute*, non, quod hæc simplicitas summa sit, siqui-
dem Authores solent distingvere inter absolute simplex, &
summè simplex, sed quod simplicitas hæc absq; respectu ad alia
consideretur; absolute autem sumitur simplicitas, tum quate-
nus ipsum subjectum, quod dicitur simplex, vel per se non in-
volvit respectum ad aliud constituendum: *vel absolute* ita
considerari potest & debet, ut licet aliàs ejusmodi respectivam
considerationem admittat, tamen illa non attendenda jam sit.
Respectivè sumptam simplicitatem nos hâc remotam volumus,
in quantum illa partim de materiâ corporum simplicium enun-

ciatur, quæ non nisi ut pars ipsorum corporum considerari potest, imò in se est materia, & sic quoad posterius per immaterialitatem hic remota jam est in totum; quoad prius verò, in quantum pars corporis constituens, & primum aliquod principium, non potest hic nec debet assumi, dum ad compositionem ipsa facit maximè, & sic in physicis consideratur; in se verò absolutè non potest considerari.

§. 2. Formalis ratio ipsius simplicitatis hujus ponitur non tantum in negatione ipsius actus divisionis vel resolutionis; verum potissimum in negatione ipsius potentiae quoque admittendi illam divisionem, sive illa potentia sit remota sive propinqua, sive interna sive externa, sive naturalis sive obediencialis: propterea enim in definitione ponitur, quod spiritus *simpliciter nequeat resolvi*, quo absoluta quædam *ἀδυναμία*, impotentia & incapacitas ad illam resolutionem in se recipiendam indicatur, ita quidem, ut non tantum non physicè possit dividi, sed nequidem absq; contradictione in diversa principia ejus divisio à nobis concipi queat; qualis divisionis conceptus, absq; contradictione est de corporibus cœlestibus, quæ etiam Deus absq; contradictione resolvere valet juxta liberrimam suam voluntatem, quanquam naturaliter resolvi à natura nequeant; sicque simul respectus habetur ad summam perfectionem, quæ hæc negatione infertur; scilicet ipsam essentiam spirituales, quia ab omni materiâ prorsus libera est, & ab omni unione essentiali, habere identitatem & uniformitatem: additur ulterius, quod non possit *in partes essentielles resolvi*. Alii quidem in genere hæc resolutionis negationem accipiunt, verum placuit nobis restringere illam resolutionem ad partes essentielles, cum quoad partes integrales præsertim indivisibilitas ex quantitatis negatione oriatur.

§. 3. Explicata simplicitas demonstratur ex immaterialitate. Hæc siquidem formaliter negat omnem in spiritu materiam, ut & ex materiâ & formâ compositionem, & contra ponit uniformitatem sive meram identitatem, ubi autem non est materia, neq; formâ, ibi etiam non potest fieri resolutio in materiam & formam, ut partes essentielles constitutivas. Unde
tale

tale argumentum fuit: Quæcunque substantia est immaterialis, ea est absolutè simplex; sed spiritus est substantia immaterialis. E. Spiritus est absolutè simplex.

Thesis III.

Inextensio est, quâ spiritus negatur posse habere longitudinem latitudinem & profunditatem.

§. I. Si in aliâ quadam materia sententiarum discrepantia sese offert, illa præsertim occurrit de formali ratione ipsius quantitatis, & præsertim illius formalis rationis, in extensione positæ, explicatione, ut videre est ex libris Logicorum, Metaphysicorum, Physicorum. Nos quia illam assumimus, quam *Dn. Sperlingius in suâ Physicâ* suppeditat, dum extensionem dicit, quæ sit juxta longitudinem, latitudinem, & profunditatem: utriq; inextensionem, vel negationem formalis rationis quantitatis, quâ negatâ negatur ipsa quantitas, nos ponimus in ipsâ negatione potentia habendi longitudinem, latitudinem & profunditatem, sc: ipsum spiritum non posse habere longitudinem latitudinem & profunditatem, siquidem ipsam quantitatem & extensionem abesse posse à corpore quodam non implicat, licet hoc propriè huc non spectet. Præprimis verò addendum hoc, quod alias communiter extensio distingui solet in extensionem entitativam & quantitativam (omissâ extensione quæ ratione ordinis partium, quem inter se illæ habent, ita dicitur, ut & situali, quanquam nonnulli illam extensionem, quæ ratione ordinis dicitur, vocent quantitativam: in quantum formalem rationem quantitatis aliter atq; aliter explicant) & utraq; extensio, non tantum quantitativa, ut ex prioribus constat, sed & entitativa hic removeri debet, siquidem entitativa illa consistit in multitudine partium diversarum, & juxta nonnullos in debitâ illarum partium cohesionem, quatenus caput immediatè collo, collū brachiis connectitur, & sic partes requirit & multitudinem earum præsupponit, alias nullus earundem ordo attendi, & nulla debita
conjun

conjunctio fieri posset: Spiritus vero quia partes, & partium multitudinem non admittit, quomodo earundem conjunctio- nem admitter, cum non entis nullæ sint affectiones. Concedimus autem facile, in substantiâ corporeâ sublatâ extensione quantitativâ, & quantitate extensivâ per omnipotentiam divinam hanc entitativam extensionem & quantitatem manere, quia illa corporea substantia suas retineat necessum est, quas habet, partes.

§. 2. Demonstratur in extensio ex ipsâ immaterialitate; quemadmodum quantitas ex materia. Materia est causa per emanationem quantitatis siquidem illa emanat ex materiâ necessariò & per se, corpus verò est subjectum primum cui competit quantitas: ubi ergo ipsa materia non habet locum, sed in totum negatur, ibi etiam quantitas non potest locum habere: negatâ enim causâ adequatâ, negatur etiam effectus: Ubi non habet locum ipsum subjectum primum, ibi etiam ipsius subjecti affectiones propriæ non habent locum: quia affectiones naturaliter non separantur à suis subjectis primis. Jam facile subsumptio fieri potest de spiritu, propter ejus immaterialitatem, quæ & materiam & ex materiâ constans corpus excludit. Quæ autem de quantitate intelligibili Scaliger, Vorstius, & alii proponunt, de iis in porismate quodam dicetur.

Thesis IV.

Insensibilitas est, quâ Spiritus negatur fieri posse per se objectum potentix cujusdam sensitivæ, ut à substantia corporeâ percipiatur.

§. 1. Vocabulum sensibile, ut & insensibile, unde oritur insensibilitas à nonnullis dicitur sumi *active* pro eo, quod aptum natum est sentire, ut animal: unde è contrario insensibile illis est, quod aptum natum est non sentire, sicuti id, quod animâ sensitivâ caret: Verum melius est, si vocemus istud sentiens, hoc verò non sentiens, distinctionis E. nos voces illas sumimus *passive* quatenus aliquid potest sentiri vel non sentiri

sentiri, & quidem ideo dicitur posse sentiri, quia potest esse ob-
jectum sensuum; potest autem esse objectum sensuum, quia ha-
bet in se ejusmodi qualitates, ob quas sensatio circa illud fieri
possit. Hoc ergo uti dicitur sensibile, ita exinde sensibilita-
tas denominatur, & vice versa, ut dicitur aliquod insensibile
ita insensibilitas ab eo deducitur. Insensibilitatis vero voce,
quæ à nobis adhibetur, non tantum actus secundus à spiritu
removetur, sc: quod spiritus actu non sentiat ab aliquo,
quemadmodum nonnunquam ita loqui solemus illudq; in-
sensibile vocare, quod actu non sentitur ob externum impedi-
mentum, vel aliud quoddam, licet alias in se tale sit, ut ob-
jectum ipsorum sensuum fieri possit; verum maximè etiam po-
tentia negatur, quæ spiritus potest unquam fieri objectum
sensuum; unde formalem insensibilitatis rationem ponimus
in ipsa negatione potentie representandi se sensibus externis.
Additur autem in descriptione *per se*, quo insinuat, non
quod primò non possit sentiri siquidem & reliquæ substantiæ
corporeæ hoc modo possunt insensibiles dici, quippe non per
se primo, sed per accidentia, proportionata sensibus, sentiun-
tur quæ à nonnullis dicuntur sentiri per se, per alterum: sed
quod neq; per alterum, sc: quod ipsi inhæreat, & sensus exter-
nos movere possit, sentiri queat. Unde hic *per se* opponitur
& illi, quod primo & quod per aliud sentitur, hoc posterius
communiter dici solet per accidens sentiri, & sic *per se* opponi-
tur tō *per accidens*, quando alterum illud, per quod sentitur
ipsi inest, non autem opponitur illi tō *per accidens* quod respi-
cit effectus & operationes à se provenientes, quæ quia in sen-
sus incurrunt, res exinde dicitur sentiri non *per se* sed *per acci-*
dens, quæ ratione etiam spiritus sensibilis & non insensibilis
dici posset: Verum hic modus incurrendi in sensus à nobis
jam non attenditur, dum ea respicimus, quæ ipsi essentiæ spi-
ritus insunt, non autem, quæ ab eà quocunq; modo agi effi-
ciq; possunt, quæ non sunt in sed ab essentia. Negata hæc
sensibilitas spiritui infert magnam perfectionem, ob quam
Spiritualis essentia sensibus externis non est obnoxia.

B

§. 2. De-

§. 2. Demonstratur insensibilitas de spiritu ex ipsâ immaterialitate. Quicquid est immateriale, illud est insensibile; sed spiritus est immaterialis. E. Spiritus & insensibilis. Major exinde patet, quia immateriale non habet, neq; habere potest qualitates físicas per quas sentitur: dum enim immateriale dicitur, & materia, & ex materiâ & formâ constans corpus removeretur ab eodem; & sic remoto subjecto qualitatum físicarum, removentur & ipsæ. Deinde & major potest hoc modo probari, quia inter immateriale & inter sensus non datur proportio debita qualis requiritur, & ex parte sensilis, & ex parte potentiæ sensitivæ, ita quidem, ut sensibile habeat, tum ex quantitate orta accidentia, sc: ipsam figuram & formam, quæ in logicis qualitatis species dicitur, tum imprimis qualitates físicas, & quidem unicuiq; potentiæ sensitivæ proportionatas: potentia etiam sensitiva debite ad suum objectum sese habeat sc: ex se & suâ naturâ; non enim de eo loquimur, quid per potentiam divinam in eâ fieri possit. Hanc proportionem inter immateriale & potentiam sensitivam non intercedere, ex ipsâ voce immaterialis apparet, dum immateriale de se speciem sensibilem spargere nequit, & ex experientiâ, quæ testatur, res corporeas tantum sensibus percipi.

Thes. V.

Illocalitas est, quâ Spiritus negatur posse occupare spacium longum latum & profundum.

§. 1. Illocalitas ab aliis solet etiam exprimi voce illocalitatis, de quo usq; adeo solliciti non sumus, sed præsertim de formali illocalitatis ratione ponenda allaboramus. Præsupponimus autem ex físicis, Metaphysicus enim locus nonnullorum est purum putum figmentum, locum esse *affectionem extrinsecam corporis naturalis quâ illud occupat spacium longum latum & profundum*. Vid Excell: Dn. Sperlingium in físicis Ubi ad formale loci requiritur occupatio spacii longi, lati, & profundi. Nihil autem potest occupare spacium, nisi i. habeat partes físicas & proprie sic dictas quantas: quæ enim à nonnullis dicuntur partes potestativæ, ipsiq; animæ tribuntur

tur

ur, quæ propterea totum potestativum dicitur, illæ sanè magis quam improprie partes dicuntur, cum sint distinctæ facultates ipsius animæ. 2. requiritur, ut spacium hoc non sit imaginarium, tantum in intellectu conceptum, quod purum putum nihil est, sed sit physicum & reale necesse est. 3. occupare spacium est ita esse in spacio inclusum & comprehensum, ut totum locatum sit in toto spacio, & partes locati ipsis partibus ipsius spatii sint applicatae, ut unâ pars sit in unâ, & alia pars in aliâ parte spatii, & sic debita commensuratio sit locati ad locum vel spacium, & spacium non sit majus vel minus locato, neq; locatum majus vel minus spacio. 4. unde sequitur exclusio alterius corporis ex illo spacio, cum dimensionum penetratio fieri nequeat, & propterea unum corpus alteri cedere cogatur.

§. 2. Illocalitas, quæ spiritum denominat, hæc omnia à Spiritu removet, unde formalem ejus rationem ponimus non in negatione actualis occupationis, sed in negatione potentiae occupandi spacium. Dum enim partes quantitativæ in spiritu non dantur, utiq; non requirunt etiam spacium aliquod reale, neq; ejusmodi occupationem illius spatii, & quoad illud commensurationem, aut physicam inclusionem & comprehensionem, ut vel alius Spiritus, aut corpus aliquod à spacio suo excludatur. Interea tamen modum adessendi perfectum infert Spiritui competentem, qui dici solet *ubietas*, quæ Spiritus absq; extensione & occupatione esse alicubi dicitur: *dum enim est, nusquam esse non potest, & si nusquam esset, ne esset quidem*, inquit Cicero lib. 1. Tusc: *quest.* Verum de hac ubietate specialiter commodius agitur in parte speciali spiritus infiniti & finiti.

§. 3. Demonstratur illocalitas ex ipsa immaterialitate. Quicquid est immateriale, illud est illocale; Spiritus est immaterialis. E. Spiritus est illocalis. *Minor* satis constat; *Major* etiam patet, quia immaterialitas excludit omnem materiam, & sic etiam quantitatem; omnis enim materia quanta est: quicquid ergo inextensum est, illud non potest coextendi partibus spatii sed Spiritus &c. Ergo. Ibi quidem hæc demonstratio fit etiam per inextensionem, attamen potissimum à no-

nobis attenditur immaterialitas, quæ etiam ipsam quantita-
tem à se removet.

Thes. VI.

Intemporalitas est, qua duratio Spiritus in
se indistincta negatur distingui posse juxta mo-
tum corporum coelestium.

§. 1. Intemporalitatis vocem dum alii in hac mate-
riâ adhibuerunt, nobis eandem usurpare, licitum quoq; sit;
præsertim, quia in Philosophiâ ad exprimendam rem non-
nunquam voces assumendæ sunt, quæ alias satis latinæ non
sunt: Interea tamen temporale adhibuit *Quintilianus l. 6. c. 2.*
pro eo, quod opponitur æterno vel perpetuo & semper perma-
nenti: unde rectè dici potest intemporale illud, quod per se &
suâ naturâ incapax est ad existendum intempore, & sic
ad exprimendam hanc perfectionem, quam infert in-
temporale, abstractum adhibetur, intemporalitas. *Alii*
Græcè vocant ἀχρονον, alii immunitatem à tempore,
vel immensurabilitatem à tempore; alii non possibilitatem
essendi in tempore. Sicuti autem in aliis ipsius Spiritus
affectionibus non potuimus inoffenso pede absq; affectionis
corporis, ipsi affectioni Spiritus oppositæ adductione ad
earundem veram progredi explicationem, ita & hic brevi-
ter, quid tempus sit, præsupponendum. Tempus secundum
Aristotelem & Aristotelicos aliter definitur, quam ab hodie-
nis physicis, quorum tamen definitionem nos assumimus,
quod sc. sit affectio extrinseca corporis naturalis, quâ duratio illius
in se indistincta, distinguitur juxta motum corporum coelestium.

§. 2. Tempus hoc Physicum in nostrâ descriptione in-
temporalitatis à spiritu removemus, in quantum ipsius duratio-
nem juxta motum corporum coelestium distingui posse nega-
mus. Hoc ut melius adhuc intelligamus, dicimus, tempus
hoc descriptum includere maximè ipsam terminabilitatem à
posteriori, & finem durationis: quippe in hoc ab ævo distin-
guitur tempus, in quantum hoc potest habere finem, illud verò

non.

non. Deinde distingui posse juxta motum corporum coelestium scil. solis & lunæ dicitur illud, cujus duratio in annos, menses, dies, & horas dispescitur, ita quidem, ut illud, quod ejusmodi distinctionem temporis admittit, necessum habeat admittere etiam durationis essentiaæ suæ finem, & mutationem, ob quam dicitur fuisse ratione præteriti, esse ratione præsentis, & fore, ratione futuri temporis. Spiritus verò, dum repugnantiam habet ad finem, in quantum non tantum perpetuò durat: verum etiam in quantum non potest non perpetuò durare, utiq; non admittit, neq; admittere potest reverà ejusmodi distinctionem juxta motum corporum coelestium. Negatio hæc infert postea ipsam *Perennitatem*, quæ rem denominat sine fine permanentem, unde dicitur consistere in ipsâ duratione invariabili & indefectibili quoad actum essendi, quæ postea in particulari considerata, vel est *æternitas* ratione spiritus infiniti, vel *ævum* quoad spiritum finitum, & sic ad partem specialem spectat uberior ejus tractatio.

§. 3. Demonstratur ipsa intemporalitas ex immaterialitate. Quicquid enim non habet materiam, illud non admittit tempus physicum: sed spiritus non habet materiam. Ergo spiritus non admittit tempus physicum. *Ratio majoris* est, quia immaterialitas sui finem respuit, & ad eundem repugnantiam habet. Siquidem, quod immateriale est, tale est, ut sit in ævo, & sic principium quidem, sed finem nullum agnoscit.

Thesis VII.

Immobilitas est, quâ spiritui repugnat, per tendentiam, successionem, & progressionem alium atq; alium acquirere locum!

§. 1. Apud Physicos motus & quies dicuntur affectio corporis naturalis disjuncta. *vid. Excellentiss. Dn. Sperlingium in Physicis lib. 2. c. 7.* quæ à spiritu remouetur, ita tamen, ut de motu physico id ipsum hic demonstrare maximè simus occupati. Quod enim ipsam quietem attinet, utique illam spiritum denominare non posse, quivis facile videt, dum ea *affectio disjuncta*

Et a corporis naturalis dicitur, quâ illud locum non mutat, sed fixum ac firmum perstat. Jam Spiritus non habet locum physicum, neque habere potest; Ergo etiam in loco physico fixus ac firmus perstare nequit, quod per se satis clarum & perspicuum. Unde etiam non licet colligere; si de spiritu motus physicus removeretur, ergo ponitur quies, quippe motus & quies sunt tantum corporis naturalis affectio disjuncta. Quid autem motus physicus sit, & quid ad eundem requiratur, attendendum erit. Hic ex laudato Authore definitur, quod sit *affectio disjuncta corporis naturalis, quâ illud alium atq; alium acquirit locum.* Ubi formalis ratio motus ponitur in acquisitione loci & quidem eâ, quæ tum *per tendentiam* ubi uno loco ad alium fit, tum *per successionem* prioris & posterioris, tum *per progressionem* successivam, ut pars motus sit fiens, pars facta, & pars futura, sicq; divisibilis promotio sit ad terminum ad quem, ut novum locum. Preterea requiritur ad motum physicum 1. *movens* tam primū, ut Deus tam secundum, ut Natura, quemadmodum in motu hominis anima hominis & Deus concurrunt. 2. *mobile* quod est subjectum, in quo excitatus ab agente motus recipitur, ut corpus humanum. 3. *terminus* à quo, locus propriè dictus. 4. *terminus* ad quem, itidem propriè dictus locus. 5. *successio* quæ sunt *Verba Dn. Sperlingii.* Hæc jam per formalem rationem immobilitatis removentur, dum repugnantia in spiritu dicitur quoad acquisitionem loci per tendentiam, successionem & progressionem, & sic Spiritus physico motu non movetur.

§. 2. Demonstratur hæc immobilitas ex immaterialitate. Quicquid est immateriale illud est immobile. Spiritus est immaterialis. Ergo Spiritus est immobilis *Major*, quia quicquid est immateriale & immune à materiâ & forma, illud non potest dividi in partem moventem & motam, siquidem sine materiâ pars movens & mota simpliciter dari non possunt: quicquid autem non potest dividi in partem moventem & motam, illud est immobile.

Thef. VIII.

Vita est, quâ Spiritus ab intrinseco operativus

tivus quoad intellectum & voluntatem denomi-
natur.

§. 1. Variè sumitur vocabalum hoc vita i. *Improprie* scilicet pro quovis motu quatenus aqua, quoad movetur, dicitur vivere, unde ipse motus ab Aristot. : vita vocatur. *l. 8. phys. c. 1.* & sic argentum vivum dicitur, & ignis vitam habere *2. Meteor. 2, 2. proprie* & quidem *vel physicè* (α) pro ipsâ animâ, ut subjecto vitæ. *l. 2. de animâ c. 4. t. 36. 37.* (β) pro facultate animæ vitaliter operandi *conf. (citante Dn. D. Clotzio disp. 1. de Constit. Theol. natur.) Dn. Schröder: lib. de Commun. propr. n. 195.* (γ) pro unione ipsius animæ cum corpore, ejusq; mansione vid *Scalig: Exerc. cit. 102. l. 5.* & quæ sunt aliæ acceptiones ab Authoribus adhibitæ; *vel Pneumaticè* & quidem tum *communiter* pro principio sese ab in trinsecò movendi, sicuti ex *Aristot. l. 8. phys. t. 29. & l. 2. de animâ t. 14.* videre est: tum specialitar pro principio movendi sese quoad intellectum & voluntatem. Hæc vita spiritualis est contradistincta vitæ animali & corporali, ita quidem, ut illæ imperfectiones, quæ in vitâ, ut in corpore animato est, reperiuntur, hîc removendæ sint. Hæc vita à spiritu ut sic non distinguitur realiter, sed tantum ratione, & quidem in quantum sumitur vel per modum actus primi, vel per modum actus secundi. Hujus vitæ ab imperfectione, quam vita in corporibus involvit, repurgatæ, actus vitales sunt *intellectus & voluntas*, qui absq; materiâ perfici possunt, dum alias augmentatio, nutritio, sensatio, &c. absq; materia fieri nequeant.

§. 2. De *Intellectu* erit primo agendum, & quidem ea, quæ in intellectu finito inveniuntur, quia respiciunt materialē rationem, hîc non sunt neq; attendenda, neq; inferenda, propterea neq; rationale & intelligens hîc unum & idem, sicuti de homine non nunquam permutantur. Est autem intellectus *actus vitæ spiritualis, per quem spiritus absq; sensuum ministerio omne intelligibile & verum cognoscit.* Dicimus intellectum *actum*, non quidem accidentalem sed substantialem, & quidem non transeuntem, sed immanentem, qui ab ipsâ essentia

tiā Spiritus ut sic non est distinctus: sit autē ille actus *absq̄ sensuum ministerio*; quo differentia indicatur ipsius intellectus spiritualis in se considerati, ab ipso intellectu ipsius animæ rationalis ut formæ informantis corpus. Illa enim ad huc in corpore existens cognoscit & intelligit quidem absq̄ organo quodam corporeo, interea tamen maximè requirit, ut objecta per organa ad intellectum deferantur, & sic sensuum ministerio uentur. Sensus autem sunt externi & interni: Ad illos primo species rerum deferuntur, qui eas ad communem sensum & phantasiam deferunt, ubi tunc Intellectus agens accedit, qui ex specie sensibili intelligibilem producit, ut res coram intellectu representetur. Spiritus verò in se consideratus, sicuti sensus tum externos tum internos non admittit, nec potest; ita neq̄ species sensibiles vel eiusmodi rerum imagines requirit, quibus mediantibus objectum ad intelligendum ipsi offertur. *Objectum* verò hoc sc. *adequationis* dicimus in genere omne intelligibile siue sit materiale, siue immateriale: *formalitati* autem dicitur verum.

§. 3. De *Voluntate* erit agendum post intellectum, quia voluntas per se non est ad cognoscendum ordinata, ideo ipsum intellectum præsupponit. ut principium dirigens, eoque posterior dicitur. Est autem voluntas *actus vite spiritualis, per quem Spiritus cognita ab intellectu aut vult aut non vult*. Hic quædam, de intellectu dicta applicari possunt ad ipsam voluntatem, propterea ea, ne actum agamus, omittimus. Differentia autem voluntatis ab intellectu in eo ponitur, tum ut præsupponat objectum ab intellectu cognitum, unde cognita ab intellectu dicimus tum quia alius actus est ipsius voluntatis, sc. quod velit, vel non velit, quam ipsius intellectus, cuius actus est apprehendere, cognoscere.

§. 4. Demonstratur ipsa vita intellectualis de Spiritu ex ipsa immaterialitate conf. *Thom. p. 1. summ. q. 14. art. 1.* Qui, immaterialitatem rei esse rationem, cui sit cognoscitiva, asserit; quanquam hic contradicant nonnulli, qui apud *Svaretzium disp. 85. Metaph. s. a. n. 20.* videri possunt. Probatur autem ita. Quicquid est immateriale, illud est vite intellectualis parti-

ce ps

ceps. Spiritus est immaterialis. Ergo Spiritus est vitæ intelle-
ctualis particeps. Major probatur exinde, quia operationes &
actiones, quæ absq; materiâ & organo corporeo fiunt, qualis
est vita intellectualis, rei immateriali maximè convenientes
sunt, & non possunt nisi ab essentiâ & substantiâ immaterialis
produci.

Πορίσματα.

I.

Quantitas intelligibilis ipsius spiritus nulla est.

§. Alia porismata, quia ex prioribus satis percipi pos-
sunt, hîc omittimus, & tantum de quantitate intelligibili, quam
Scaliger, Vorstius & alii statuisse dicuntur, jam initium hic faci-
mus. Potest autem intelligibilis quantitas duobus modis di-
ci, 1. in quantum præsupponit in ipsis rebus quantitatem sensi-
bilem, quæ affectio corporis naturalis est, & à quâ ab intellectu
abstracta hæc est, sicq; ob ejusmodi abstractionem per intelle-
ctum factam à sensibili quantitate, vocari potest quantitas in-
telligibilis, & vocatur alias quantitas *Mathematica*, sicuti sen-
sibilis *physica*. 2. intelligibilis illa dicitur, quæ in re nullam
præsupponit quantitatem physicam, sed quam tantum intelle-
ctus noster concipit absq; fundamento in re, ad modum quan-
tatis in rebus corporeis. Priori modo sumptam quantitatem
intelligibilem sicuti nos non in totum rejicimus, ita eandem
huc minimè accommodari posse, unicuiq; patet; posteriori
verò modo acceptam attribuunt Authores Scaligero; verum
illa ipsa, quia tantum est ratione nostri intellectus concipien-
tis, vel multo magis fingentis, utiq; illa ipsa non est quantitas
vocanda, unde sc. res quædam quanta vocari verè possit: si-
quidem dum intellectus noster non est mensura rerum, sed res
multo magis nostrum mensurant intellectum: utiq; non res à
nostro intellectu, sed intellectus à rebus inesse intelligibili de-
pendet. Non quia tu parietem vides esse album, albus est,
sed quia est albus, vides esse album: Ita & hic, non quia tu spi-
ritus

G

ritus

ritus intelligis esse quantos, ideo sunt quanti, sed ut tu intelligas esse quantos, oportet illos primum verè esse quantos: alias quantitas intelligibilis est figmentum sine fundamento, quæ sunt verba *Admod. Rev. & Excell. Dn. D. Clotzii disput. 1. de Instit. Theol. Natur. p. m. 20.*

§. 2. Ex his sequitur ultrò ipsum spiritum nullâ figurâ esse præditum, siquidem figura est quantatis certa determinatio. Ubi ergò non est quantitas, ibi non potest esse quantatis certa determinatio, siquidem non entis nullæ sunt affectiones. Quod autem spiritus quidam sc. Angeli dicantur depingi posse, unde etiam in Synodo quadam Johannes Episcopus Thessalonicensis, ductus hâc ratione, quia Angeli sunt corporei, affirmavit, reverà depingi posse Angelos; illud non probat reverà dari figuram in Angelis, vel etiam propriè dictam effigiem, siquidem illa est certa quantitatis determinatio, hæc verò est repræsentatio rei juxta figuram suam apprehensæ: Utraque autem de Angelo dici nequit. Propterea dicimus, esse picturam aliquam, quæ etiam non existentis rei esse potest, aut ejus quæ à nobis tantum tali vel tali modo propter imbecillitatem intellectus concepta est: ut si pictores angelos cum aliis pingunt, numne propterea Angeli alas habent. Concedimus interea Angelos habere terminum essentialis, quia sc. sunt finita creatura & spiritus; Verum hæc finitas & terminabilitas est essentialis, quæ absque figurâ esse potest, non est autem determinatio quantitatis.

II.

Nullus spiritus est in loco.

Esse in loco sumitur 1. *Generalissimè*, nonnunquam à quibusdam Patribus pro omni ad essentialis modo, qui convenit omni seu creato seu increato. Unde *Damasceus lib. 1. de orthodoxâ fide c. 17.* agit de Dei loco, & c. 18. de loco Angeli & animæ, & sic ab aliis etiam sumitur *esse alicubi*. Deinde sumitur *generaliter* sc. pro modo ad essentialis finito ab aliis dicitur alicubitas, vel esse alicubi, ita, ut sic esse in loco, tantum contradic-

stin-

Ringuatur modo adessendi infinito vel esse ubiq; , quâ ratione spiritus finiti dicuntur esse in loco. Denique *specialiter* pro modo adessendi circumscriptivo , qui tantum corporibus convenit, & in ipsis Thesisibus fuit jam explicatus, quomodo etiam hic nos sumimus, non usq; adeo attendentes priores acceptiones *esse in loco*, præprimis, quia ex earum usurpatione confusio nonnulla oritur, & alii termini suppetunt, quibus unicuique proprius adessendi modus distinctè exprimi potest. 2. *Esse in loco* dicitur communiter vel *per se* vel *per accidens*. *Per se* dicitur in loco, quod ratione suæ essentiaë est in loco; *per accidens* dicitur in loco, quod non propter suam essentiam est in loco, sed propter aliud, quod est in loco. *Per accidens* autem esse in loco infert *vel* veritatem & proprietatem attributionis, sc. quod res illa, quæ per accidens in loco est, verè & propriè sit in loco, & modum essendi in loco diversum ab eo, quod per se est in loco, insinuat: *vel* tantum æquivoce, impropriè, metaphoricè, minus accuratè loquendo ita dicitur. Hujus autem nostræ duplicis acceptionis termini per accidens, fundamentum ponimus nos, scil. *tum* quod terminus per accidens non tollat veritatem & proprietatem rei: quod enim per accidens fit, reverà fit, qui per accidens dicitur aliquo pervenire, revera pervenit ibi: *tum* quod per accidens ab Authoribus nonnunquam sumatur pro eo, quod metaphoricè, æquivocè ita dicitur, quemadmodum, p. m. *Dn. D. Jacobus Martinip. 2. disp. XV. contr. Becanum* ex Scaligero adducit. Rectè, inquit, Scagger: *Dicuntur intelligentia in loco esse æquivocè atq; etiam plus quam æquivocè, & in ead. disput. §. 10. dicit; Anima secundum illas partes corporis quando augetur, per accidens & metaphoricè se extendit. vid. etiam Thomam. p. 1. 5. q. 52.*

§. 2. Hisce præmissis dicimus: Nullum spiritum *esse in loco*, specialiter sumptâ phrasi hæc *esse in loco*, vel *per se*, vel *per accidens*, si propriè & accuratè loqui velimus. Quoad prius, sc. *per se*, res satis clara est ex prioribus. Esse enim in loco præsupponit corpus & partes quantas, dum & illud à toto spatio vel loco, hæc verò à partibus spatii commensurari debeant.

Spiritus autem nec corpus nec partes propriè dictas & quantas
habet. Ergo nec est per se in loco. Quoad posterius verò,
cum nannulli inveniuntur, qui, spiritus per accidens, (& in-
trinsecè & extrinsecè, de quo tamen specialiter, volente Deo,
in parte speciali) in loco esse dicant, & sine dubio propriè &
accuratè loquantur, cum nihil aliud quam accuratam suarum
rerum pertractationem spirent, utique contra eos ita argumen-
tamur. Quodcumque cum & in corpore existens, existit ta-
men illocaliter, illud non potest dici propriè per accidens esse
in loco. Sed spiritus cum & in corpore existens existit tamen
illocaliter. Ergo spiritus non potest dici propriè per accidens
in loco. *Major* per se vera est; *Minor* probatur, quia spiritus
ubi est, illocaliter est, siquidem esse localiter est affectio ipsius
corporis, quæ in totum repugnat spiritui, sicuti ipsi materia &
corpus repugnat; & per consequens cum contradictorie sese
respiciant, necessum spiritum esse illocaliter ubi est. Neque
verò id probat, spiritum esse per accidens in loco, quia est uni-
tus cum eo, quod est in loco, quod etiam non nemo his verbis
videtur concedere, dum oblitus sui scribit, *ut nec id statim in
loco est, quod cum locus est, existit*. Siquidem tali modo etiam
spiritus infinitus unitus cum corpore quodam per unionem
extrinsecam esset in loco per accidens. Imo ob hanc ratio-
nem & corpus posset dici illocale per accidens, quia ipsa
corpus est unitum cum animâ, quæ est illocalis. Propterea ne-
gamus propter unionem aliquam etiam intrinsecam, ob quam
unum per se fit, passionem corporis spiritui esse attribuendam,
etiam per accidens tantum, nisi simul quis dicere velit, ipsū spi-
ritum per accidens compositum ex partibus essentialibus, quia
corpus, cum quo unitus est ita compositum existit: ipsum spi-
ritum esse per accidens patibilem, quia corpus, cum quo con-
iunctus est, est patibile. Verum remoto hic omnis hujus at-
tributionis fundamento, attributio concedenda non est.

III.

Nullus Spiritus est intempore.

Ve


Veritas hujus *negationis* ex thesibus satis innotescit, tantum notandum, hic nos agere de spiritu ratione ipsius essentia, quam negamus in tempore esse, siquidem ipsa perennitas spiritui competit. Distinguunt tamen ipsi Authores, inter esse in tempore, & ipsi tempori coexistere vel simul esse cum tempore. Spiritus non intempore est, attamen est, quando tempus est, quæ tamen coexistentia cum tempore non facit nec potest illud præstare, ut res aliqua sit intempore, nisi simul ab eodem mensurata fuerit. Ab hac distinctione non multum abludit ea, quæ distinguitur inter tempus verum & imaginarium. Nos enim nonnunquam nobis imaginamur res intempore esse, cum tamen non sint, sed tantum admodum corporum in tempore esse à nobis concipiuntur.

IV.

Nullus Spiritus est motu physico mobilis.

Motus duplici modo sumitur, vel *proprie*, vel *improprie*. *Improprie* Deo attribuitur, per *αὐτὴν ἑωρατὴν αὐτῆς*, dum dicitur descendere venire, quod *θεοῦ ἑωρατὴς* explicandum: *proprie* vel *late*, vel *strictè: late*, in quantum dicit relictionem unius ubi, & acquisitionem alterius, qui modus movendi etiam competit alicui spiritui sc: finito, ut Angelis, & animæ rationali: & à nonnullis dicitur motus localis, ita tamen ut opponatur motui physico corporibus competenti. vid *Excell. Dn. D. Scheiblerum. l. 2. Metaph. c. 4. n. 221. & 222. Strictè* quatenus cum successione prioris & posterioris & tendentiâ sit à loco ad locum, ut antea in thesibus descriptum est pluribus, Et hic vocatur ab aliis motus localis, quibus motus localis & motus physicus unum & idem est, unde negant Spiritum aliquem *proprie* moveri localiter. Conf. p. m. *Jacob. Mart. p. 2. contra Becan. Diss. XV. §. 15.* Si quidem licet Spiritus dimisso & relicto uno ubi acquireret aliud, non tamen ipsum ubi vel relictum, vel acquisitum potest dici locus *strictè* dictus. Deinde aliquid dicitur moveri localiter à

non nemine, vel *per se* vel *per accidens per se* mobile vocat,
quod aptum natum est per se & ratione sui esse subjectum mo-
tus, vel quod habet principium motus in se, ut est corpus.
Per accidens mobile dicitur, quod propter aliud movetur (vel
intrinsecè, vel extrinsecè, de quibus terminis jam nihil addi-
mus). Nos præmissis hic illis, quæ de termino per accidens in
secundi porismatis §. i. adducta sunt, dicimus, nullum spiritum
posse moveri motu physico & locali, in quantum localis & physi-
cus motus unum & idè est, sive per se, sive per accidens, propriè
si loqui velimus. Non *per se* quod ex thesibus patet neq; *per acci-
dens*. Quicquid enim, sive moveatur sive quiescat corpus sibi
unitum sine aliqua mutatione, vel ubiq; manet, vel ubi suum & su-
am præsentiam spirituale quoad illud corpus retinet, illud mo-
to corpore non potest nec debet dici propriè per accidens mo-
veri, vel mobile motu physico. Sed Spiritus sive moveatur, sive
quiescat corpus sibi unitum sine aliqua mutatione vel ubiq;
manet, vel ubi suum & præsentiam suam spirituales, quoad
illud corpus retinet. Ergo Spiritus moto corpore nec potest,
nec debet dici propriè per accidens moveri, vel mobilis. *Ratio*
majoris, quia motus physicus nullus potest dici etiam per ac-
cidens, si propriè quis velit loqui, ubi non fit mutatio alicu-
jus loci, vel præsentia. *Minor* quia spiritus infinitus in assum-
to corpore, quod movet, non sanè potest dici moveri per acci-
dens, siquidem immobilis est & manet, retinetq; suam eandem
præsentiam sc. infinitam. Spiritus autem finitus seu comple-
tus, seu incompletus etiam moto corpore retinet uniformiter
suum ubi & suam ad corpus præsentiam. Imo spiritus est mo-
vens ipsum corpus & causa efficiens illius moti corporis, cui
vel assistit vel se eidem univit, manente tamen ad huc immo-
bili illo spiritu ob incapacitatem ad recipiendum talem mo-
tum, qui imperfectionem aliquam secum fert. Sicuti cen-
trum immobile manet, licet circum circa
poli moveantur.



05 A 783


ULB Halle 3
003 767 108



VD17







I. N. J.
DISPUTATIONUM PNEUMATICARUM
QUARTA
in specie,
De
AFFECTIONIBUS SPI-
RITUS IMMEDIATIS
AGENS,
Quam
Annuente Spiritu Infinito,
PRÆSIDE
M. CHRISTIANO BILEFELD,
Lubec. Fac. Phil. Adj. p. t. Decano
In auditorio Majori
Horis antemeridianis
ad diem Septembr.
Placida Eruditorum ventilationi submitte
VINCENTIUS PETERSEN, Hamburgensis,
WITTEBERGÆ
Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.
ANNO MDC LIX.